

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

V.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

consideres, cui eas describendas dederis, & has quoque lectas quam primum inflammes.

Quod in proximis literis tuis scribis, Hominem constantem animo & corpore materiam esse: Peccatum formam seu Imaginem essentialem: quæ duo conjuncta substantiam efficiant: id ego planè non intelligo, fortassè quia in Physicis plumbeus sum. Sed tamen diligentius hanc formam loquendi considerate velim, priusquam ad alios non candidè fortassis judicatuos efferretur.

Literas tuas in Austriam missas omnes me accepisse arbitror. A Wigando, cui exemplum illarum proxime misi, quotidie responsum expecto.

M. Johannem Pauli, fratrem collegæ mei, Doctoris Simonis Pauli, tibi reverenter & diligenter commendo. Bene vale. Die Ambrosii, 1570.

David Chytræus.

Quas tabellarius Rostochiensis apud tè reliquit literas meas, Lazaro Suendio inscriptas, ut ipsi exhibeantur, plurimum mea refert. Quæso igitur, ut disertè significes, an ipsi reddita sint: & si occasio erit, responsum flagitari sinas.

V.

*Gratiam & pacem CHRISTI.*

**N**ondum puto integrum elapsum esse, Reverendiss. Vir, triennium, ab eo tempore, quo T. R. commendavi pium adolescentem, Fridrichum Rhodium, Reverendi Viri, M. Johannis Rhodii, in DOMINO feliciter defuncti Filium: quem à vobis omnibus benevolentia officii exceptum & adjutum meminimus, & pro omnibus in eum collatis beneficiis gratias summas agimus: dum referre pares modo non licet. Nunc autem & alium mitto pietate & doctrina mediocri præditum adolescentem, Andream Copichium, pii, docti & boni Viri, Pastoris in vicina mihi Ecclesia Filium, cui parens suppeditare sumptus ad studia necessarios præ penuria non potest. Exoptat autem interea, ad altiora Filium progredi. Quod & Præceptores facile futurum putant, si ad Academiam aliquam sese conferret. Delecta ergo est vestra ob multas rationes, quas hic enumerare nolo. Potissima autem fuit, quod ex commilitonibus haud paucos à vobis eximio cum profectu studiorum in patriam rediisse hætenus comperum. Hinc incitatus non minori cum fructu, apud vos sese versari posse, sperat hic Adolescens. Nolui igitur ab hoc proposito ego illum deterrere, sed potius has commendaticias illi ad te dare, ut meâ intercessione fretus, tua & D. Sturmii opera locum, si non in Academia, tamen in

Rr

Schola

Schola saltem Wilhelmitarum, suis studiis commodum, eo facilius inveniret. De tua benevolentia & promptitudine in juvandis egenorum Pastorum Filiis nihil dubito. Itaque multis precibus te fatigare nolo. Cum enim scias, qualis hic sit juvenis, minime ipsi deeris. CHRISTO te cum tota vestra Ecclesia commendo. Et ut D. Illyricum tibi commendatissimum habeas, oro: quem gratis jam multi persequuntur & non pauci hæreses suspectum reddere conantur, propter veram de peccato originali sententiam, quam profecto ego, cum sit Scripturæ & Lutheri doctrinæ consentanea, damnare non possum. Vale, 1570. 9. Aprilis.

T.

Cyriacus Spangenberg.

## VI.

*Salutem & pacem in Christo Salvatore.*

DE tua, Clarissime Vir, erga studiosos bonarum literarum insigni benevolentia, eosque juvandi indefesso studio, prolixè nobis testatus est Egregius Juvenis, Fridrichus Rhodius. Inde non exiguam spem concepimus, & huic, quem nunc mittimus, Adolescenti nostram in gratiam ultro te gratificaturum. Est is boni, docti ac pii Pastoris in nostro Comitatu, pauperis tamen & multorum liberorum parentis Filius, aliquandiu in ædibus meis gratis educatus, postea ex meo consilio in Islebianam Scholam uberioris fructus capiendi gratia transmissus, ubi meo judicio bonam navavit operam. Postquam autem ad Academiam aliquam sese conferre statuisset, vestra occurrit, in qua se plurimum profecturum aliorum exemplis & ejusdem non confictis Encomiis permotus, certissime confidit. Ab hoc proposito ego avocare adolescentem nolui, sed potius hortator fui, ut quamprimum in iter sese conjiceret. Et nunc his brevibus eum tibi, humanissime Domine, commendare volui & petere, ut pro solita tua pietate illum juves atque promoveas, quo possit apud vos locum suis studiis vel in Collegio Wilhelmitarum, vel in Academia idoneum nancisci. Idem mecum petit totum Mansfeldense Ministerium, quod in primis etiam te salutari jubet. Non dubitamus, Andream hunc, quem vobis commendamus, in omnibus, quæ frugi adolescentem decent, facturum. Et promittimus nos quoque omnem gratitudinem. CHRISTO te commendamus. Vale. Datæ 4. Iduum Aprilis, 1570.

T. Cyriacus Spangenberg, Ecclesiæ  
Mansfeldensis Pastor.

VII.